

bitu continetur, nec semper, nec ubique locorum præstò adsit, nullique mortalium in alterius mentem atque animum, tanquam in speculum, intueri à Naturâ concessum sit; & tamen hominum eâdem societate utensium usus & commoda exigant, sua sibi invicem cogitata atque animi sensa communicare; coacti fuere, pro arbitriô voces effingendô, iisque significations affingendô, quod natura negaverat, industriâ compensare. Nec in solis sonis vocibusque, quibus tantum præsentes cum præsentibus sermonem habere licitum est, substituit hæc humani ingenii sagacitas; sed ulterius progressa etiam absentes cum absentibus quasi colloqui fecit, vocum videlicet sonorumque notas fabricandô, literas putâ, quarum multifariâ mutabilique compositione, quocunque vocabulorum aures ferit, menti per oculos possit exhiberi: Adeò ut mutâ hâc loquelâ non minùs, quam vivâ voce aliis animi nostri sensa nota reddere queamus.

5. Ex vocabulis porrò, tanquam ex partibus, conflatur *oratio*, seu enunciatio, in quâ aliquid de aliò dicitur & pronunciatur. Duo itaque sunt in omni oratione, aliquid nempe, quod de aliò dicitur, & aliquid, de quô aliud dicitur: hoc *Subjectum*, illud verò *Prædicatum* à Logicis nuncupatur; ac conjunguntur in affirmatione per voculam *est*, & disjunguntur in negatione per *non est*: Adeò quidem ut fine his particulis nulla subsistere queat Enunciatio, ac propterea non immeritò illius anima vocentur.

6. Cum igitur vocabula orationem omnem componant, eaque non solùm ore pronunciari, sed etiam literis pingi ac designari queant, idem quoque in oratione obtinebit: Adeoque tam hæc, quam illa erunt in duplii differentiâ, nempe aut vivâ voce prolata, aut scripturâ expressa; & circa utrumque genus tam vocabulorum, quam orationum versabitur noster Interpres, quamvis diversimodè; utpote circa orationes primariò, tanquam objectum proximum; circa vocabula verò secundariò, tanquam objectum remotum, materiam scilicet & partes, ex quibus omnis oratio producitur, atque constat. Primum enim quod intendit interpres est investigare orationis sensum, qui cum plerumque ex vocabulis, eam conflantibus, oriatur, adeoque ex iisdem erui debeat, nullò modò scopum sibi præfixum ferire poterit, nisi illa etiam attentè consideret, ac diligenter expendat, atque excutiat.

7. Quamvis enimverò Oratio Interpretationis objectum sit proximum atque primarium, non tamen id totum est, quod heic loci in eâ spectari oportet. Grammatica enim, & Rhetorica, & aliæ partes Logicæ illam etiam considerant; sed non eodem modò atque hæc. Unde Philosophi optimè objecta disciplinarum, earumque partium distinguunt in *materialis* & *formalis*. *Materiale* objectum pluribus artibus est commune, *formale* unius peculiare, sic oratio & à Grammaticis tractatur, at quatenus præceptis ac